



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

Ixvi. De pituita humida.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

De pituita humida.

NOTIAS appellatur ex eo, quod humorem habet, & spumeum quiddam ex oculis mittit: oculi tument, per nares nihil defluit. Ea, nisi præcaueris, periculum affert, & propemodum est insanabilis. Deprehenditur, cum oculorum angulos videas vtrinque spumæ exiguum habere. Curabis, si pediculariæ, piperis, singulorum grana septem vna diligenter trita cum vino in promptu habeas: deinde exiguas carnis portiunculas melle illitas des accipitri comedendas quinq. aut sex: posthæc eum in sinu tuo teneas, sed commodè, ne lædantur illius remiges pinnæ. Primum linguam ipsius leniter exeras, & videas, si quid tanquam lingula, quod est morbi fundamentum, infra ipsam decumbit; id vngue leniter incidas, donec expurgatus locus sit: deinde vino veteri foueas, & paulatim eluas, & diligenter digitis defrices. tum eiusdè nares auceps ore suo exuggat, pulueremque sumat ex his quæ diximus redactum, eoque illius palatum confricet. singulis curationibus vtere pondere duarum fabarū: in sole illum paulisper locato,

G iij

vsque eo duntaxat, quo ad incalcraftus fit: deinde ipsum à sole remoue, & ligatum tene in vmbra, & tandiu obserua, quoad per nares & os eijcit morbum, exigua frustula carnis, quæ ante pharmaci curationem acceperat, videbis fæculentam pituitam emittere accipitrem ex efficaci pharmaco. Cum animaduertes ipsum expurgatum, neque quicquam amplius emittere, melle illine fauces & palatum, vt ante diximus; vt mitigetur accipiter ex acerbitate pharmaci: tum ei detur columba edenda, aut ouilla caro calida, aut alterius animalis boni succi. Quod si morbi vis adhuc permanet, tum adhibeatur hoc remedium, quod recipit agrestis mali, & hyoscyami æquales portiones commistas cum oleo, quod fumo infectum sit, ex his offæ agglomerentur, eadèmq; opobalsamo illinantur. Vino prius foueatur os accipitris: deinde detur ipsi offa vna pondere vnius scrupuli. Potes etiam hoc remedio vtì, quod continet piperis vnciam, laseris drachmam, costi, folij, singulorum scrupulos quinq; pediculariæ grana vndecim. Contundantur simul omnia, & tenuissimo incerniculo cribrentur. Seruetur eorum

puluis, eoque, cum exiget vsus, palatum
& fauces illius defricentur.

De molli & humida destillatione.

MOLLIS destillationis hæc sunt signa. primum ex naribus aqua defluit, deinde sternutamenta; sputa, mucicrassi ex naribus erumpunt, oculi humore redundant & tumescunt. hanc iisdem pharmacis eodem modo quo humidam curabis. Sunt qui laser in aquam conijciant, idque maderi & macerari tandiu sinant, dum aqua dissolutum sit, eoque conspersum pullum columbinum adhuc calentem dent accipitri. Cum accipiter assidue liquorem per os & nares emittit, & palpebræ tumescunt, hic non eget auxilio vnguentorum, quæ ipsum nihil iuuant, sed magis humorem destillationis augent. Vtere duntaxat hoc remedio, quod recipit piperis triti & cribrati pulueré. is naribus inspiratus sanum facit accipitrem. Cum caput atque oculi tument, & stertit, & sibilum edit accipiter, hoc curabitur remedio, quod continet piperis grana quadraginta, costi sextulam, opij scrupulum, folij, pyrethri, euphorbij, singulorum scrupula bina, pedi-